



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 84. Petrus autem sequebatur eum à longe. v. 58.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

mo malum ex eo, quod mihi videatur esse contrarius: sed ut eum potius iuvem, potius defendam pro justitia, eius causam, absque rancore, odio vel invidia velim tractare.

§. 84. Petrus autem sequebatur eum à longe. v. 53.

Primo ob promissionem suam, cuius memor turpe existimabat, non sequi dominum suum; docens nos bona proposita & fidem datam servare, quod utinam semper constanter faciamus. Secundò sequebatur Magistrum ob amorem, quem erga ipsum gerebat, maximum. à longè verò ob timorem quo iam occupatus fuerat, pugnabant enim in corde Petri: amor Christi & timor mortis. ille attrahebat, hic tetrahebat: sed hæc erat permissio divina Deo sic sinente fieri, quo scripturæ implerentur quibus prænuntiabantur, quod Christus Dominus noster torcular passionis solus esset calcaratus.

**O** Amantissime Iesu quo ego proposita bona feci? sed cum Petro pauperrimi elongavi à te, ita ut plane perdiderim te, & in baptismo fidem datam oblitus ivi: in post Deos alienos, passiones meas; frigidus in amore sancto tuo, calens cupiditate sacerdoti, & quo magis me elongavieo frigidus semper factus in fide spe & charitate tua. Respicere ergo & me cum Petro oculis misericordiae tuæ ut resumam animum redeam, ad te, servem proposita bona, de fleam & lugeam peccata mea, & negligentias meas, ut gratiam recuperem æternam.

§. 85. V/que in atrium principis Sacerdotum. v. 58.

Dum saltem timide Petrus sequitur Magistrum id est à longè, & pervenit usque in atrium principis sacerdotum, in quo milites, qui Christum ceperant captivum, & Caiphæ tradiderant, hærebant expectantes Dominorum suorum nutum, quibus se immisceret plenus anxietate Petrus, quid factum! cum perversis habitando non evasit innoxius qui si mansisset solitarius aut cum bonis, bonus utique in eorum societate mansisset, nec coactus fuisset ab ancilla vili, etiam cum iuramento Deum & Dominum suum negare. In perversis aulis hand dubiè, non nisi iniquitas & dolus discitur & docetur, & de eiusmodi aulis vere dicitur, exeat aula qui cupit esse pius, nam in eiusmodi iniqua aula nempe in curia Herodis Magi stellam perdunt, Ioanni caput abscondit, Christus illuditur &c. in curia Caiphæ Petrus sedem, saltem foris, negat & robur animi perdit; imò peierare dicit qui cum discipulis manens Christum præ omnibus audientissime confitebatur. prò quantum malum causat mala societas!

Vidéo